

DISPUTATIO THEOLOGICA,
in qua
FIDEM PARADISIACAM
DE
MYSTERIO IN-
CARNATIONIS,
VERE PRIMAM
VERE CATHOLICAM,

Ex Genes. III.

Quam

SUB PRÆSIDIO

VIRITOMORP

Summe Reverendi, Magnifici, Amplissimi, Excedentissimique.

DN. JOH. Deutschmanns /

SS. Theol. Doct. Consummatissimi, P. Publ. Primarii
longe celeberrimi, Totius Acad. Sen. Maximè Venerandi,
Templi OO. SS. Præpositi optime meriti, & Alumn.

Elect. Ephori Gravissimi,

Domini Patroni, Præceptoris, Studio-

rumque suorum Promotoris, omni observantie cultu ad

cineres usque humillime prosequendi,

defendet

M. JOH. JODOCUS WÜNSCHE ,

Groschön Lusat.

In Auditorio Majori

D. 14. Martii. A.D. 1701.

Hora II. Pomeridiana

WITTEBERGÆ, Stanno HARIANO.

Coll. diss. A
161, 8

SLUB
Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

V I R I S
**MAGNIFICIS, GENEROSO, NOBILISSIMIS, EXCELLENTI-
TISSIMIS, AMPLISSIONIS, CONSULTISSIMIS,
SPECTATISIMIS**

PATRIBUS
INCLUTÆ ZITTAVIENSUM
REIPUBLICÆ
CONSCRIPTIS
DE BONO PUBLICO LONGE MERITISSIMIS
DN. MECOENATIBUS
atque
PROMOTORIBUS OPTU-
MIS MAXUMIS

hocce studiorum Academicorum
specimen, eâ, qvâ par est, animi
devotione.

D. D. D.

Respondens.



DE AERIATILIS MATERIALE INNOVATIONIS

IN NOMINE JESU!

FIDES PARADISIACA,

DE

MYSTERIO INCARNA-
TIONIS,

VERE PRIMA,
VERE CATHOLICA.

EX GENES. III.

Historia Paradisiacæ revelationis, Memo-
moriam Divinæ Mysteriorum Patefactionis, Aurifor-
dina Theologicæ cognitionis, seu Professionis, & Glo-
ria Catholicæ Confessionis. Si verba respicimus,
accurata Mysteriorum Omnium Synopsis in iis re-
peritur: si verborum sensum conferimus, integrum Theolo-
gicæ Systema convenienter ibidem invenitur. Tres sunt totius
Theologicæ partes, Doctrina de Fine, qvoad Theologiam speciali-
ter ita dictam, cum in eadem agatur de summo Fine, DEO
Glorioso, vel Ejus Fruitione: Doctrina de Subiecto, vel Hemi-
ne, qvoad Anthropologian, tum qvoad statum creationis, tum
qvoad statum reparationis: Doctrina de Mediis, in Oeconomia
Salutis, qvomodo, vel quibus mediis, Homo possit ad DEum
peruenire, suumqve Finem Ultimum, & Optimum, invenire.
Doctrina de DEO planissime, plenissimeqve traditur in Hi-
storia Pandisi, qvod ex unico Cap. II. Genes. prolixè Duobus Tra-
ctatibus, De Iehova Elohim Creatore, & Conservatore, demon-
stravimus. Anthropologia pariter, qvoad omnes Status Homi-
nis in Historia Paradisi traditur. Nam qvoad Statum integri-
tatis, vel primæva perfectionis, & ipsam Imaginem Divinam, pro-
pria sedes, C. I. & II. Genesios exhibetur: Qvoad Statum Corru-
ptionis historia manifesta legitur, Cap. III. i. seqq. Qvoad Sta-

A

1000

2 DE VERITATE MYSTERIO INCARNATIONIS
cum restauracione, ipse Deus restauracionis humanae tum *Autor*,
tum *Doctor* factus est. p. 9. seqq. Quoad Statum Glorificationis
æterna vita tum intenditur, Gen. II, 7. tum attenditur, v. 17. tum
post lapsum per veram fidem in Evangelicae seminis mulieris pro-
missione, peccatorum remissione, ad eam contenditur. Econ-
omia Status Integritatis, c. II. in primis, v. 17. Series Corruptio-
nis, Cap. III. 1. seqq. Status autem gratiosæ reparacionis in pro-
cessu pænitentiali, vel Nomothetico-Evangelico, Cap. III. 7.
seqq. luculenter ostenditur, Conf. Theologia Nostri Paradisiaca,
juxta C. I. & II. Genes. Fontes autem totius scripturæ, totius
Theologie, totius Fidei Catholice, C. III. piis in dicatoribus offert.
Nos minus aliis Mysteriis Christianæ Religionis, modo solum My-
sterium Incarnationis devotis meditationibus committimus.
Ipsum autem Jehovam Elobim, Patrem, Filium, & Spiritum San-
ctum, ardentibus suspiriis in partes vocamus, ut quemadmo-
dum olim ab æterno Mysterium Incarnationis in Mente sua per
Sapientiam infinitam constituit, in Voluntate sancta firmis de-
cretis proposuit, in tempore post Iapsum Protoplastis verbis,
quoad sonum, brevibus, quoad sensum, gravibus, vereque suffi-
cientibus, per gratiosam revelationem exposuit, ita Spiritu suo
sancto nos gubernare, sua luce, mentes nostras obscuras illu-
minare, voluntates nostras inflammare, corda pariter inhabi-
tare, cogitationes in via veritatis conservare, meditationes dex-
terrimas subministrare, convenientes voces, atque phrases, sup-
peditare, clementissime velit, quo præsens institutum sit Deo,
cum primis Immanueli nostro, Gloriosum, Divinæ Veritati
consentaneum, Verbo revelato collaetum, Historia Paradisi-
aca Homogeneum, Incarnationis Mysterio conformatum, nobis
homini bus proficuum, & fructuosum, per & propter Semen Mu-
lieris, Eternum Dei Filium Incarnatum!

I. *Incarnationem Filii Dei si quis Mysterium Mysteriorum*
dixerit, à vero nihil quicquam aberrabit. Nam vere Mys-
terium Mysteriorum est, tum à priori, tum à formalí, tum à pos-
teriori. Dicitur à priori Mysterium Mysteriorum, dum non aliun-
de, quam ab admiranda Dei sapientia, ab infinita Dei potentia,

ab

ab immensa Dei Misericordia, vel Benevolentia, non equidem vulgari, sed maxime singulari modo, suos dicit natales. Nemo tale quid indagare potuisset, nisi Sapientia Dei, prorsus incomprehensibilis, hoc Mysterium & ordinare, & revelare voluisse. Nulla finita virtus, & potentia, circa Mysterium hoc aliqvid vel tentare, vel praestare valuisse, nisi Deus, apud quem non est impossibile verbum ullum, factum ullum, *Luc. I, 37.* novum hoc creare, *Jer. XXXI, 22.* clementissime constituisse. Nulla creatrix voluntas hoc Mysterium Mysteriorum, tanquam veritati consonum, velle potuisset, aut unquam voluisse, nisi divina Benevolentia, seu voluntas ordinatissima Dei, talem Incarnationem verè decrevisset, & nostram ad salutem prædefiniisset. Dicitur à formalis Mysterium Mysteriorum, quia totum totum est. (a) τὸ μυστήριον. (b) τῆς ἐυσέβειας μυστήριον. (c) τὸ τῆς ἐυσέβειας μυστήριον. (d) μέγα τὸ μυστήριον. (e) ὁμολογημένως τὸ μυστήριον, teste *Paulo I. Tim. II. 16.* Est Mysterium Mysteriorum quoad quidditatem, quia principiis omnibus, partibus omnibus, respectibus omnibus, nihil nisi τὸ μυστήριον est: quoad quantitatem, quia μέγα τὸ μυστήριον est; quoad qualitatem, quia Mysterium ὁμολογημένως ab omnibus cognitione menis intelligendum, vera si de cordis concipiendum, plena cupiditate voluntatis appetendum, perpetua memoria custodiendum, grata lingua, pleno pariter ore, si non dignis, quod impossibile nobis, tamen devotione preconitis celebrandum, & glorificandum; quoad relationem, quia meram respicit εὐσέβειαν, cum omni respectu sit τῆς ἐυσέβειας mysterium: quoad activitatem, quia veram, & meram, in nobis pietatem operatur. Tandem est Mysterium Mysteriorum à posteriori, quia cuncta Mysteria Theologie totius, non aliunde, quam ab hoc Incarnationis Mysterio suam trahunt originem. Posito Mysterio presentis Incarnationis, ponuntur omnia reliqua regni celorum Mysteria. Remoto, vel Destruendo mirabilis Incarnationis Mysterio, pariter omnia gratia, cuncta salutis Mysteria nobis post lapsum evanescere necessum habent. Ex hoc Mysterio patet Christus viget Christianus, floret Christianismus, viret tota Christianorum Ecclesia.

2. Tota

4 DE VERITATE MYSTERII INCARNATIONIS

2. Tota Scriptura proinde nihil aliud est, quam unus
continuus, vereque magnus Incarnationis Commentarius, (a) q. via
sicut Matthei liber dicitur; & insignitur **BIBΛΟΥ ιωάννου**, vel
εὐαγγέλιον τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, de Jesu Christi Incarnatione,
vel **Christo Incarnato**, sic idem de tota scriptura Novi Testamen-
ti dicendum; nec aliud de tota scriptura Testamenti Veteris
asserendum. (b) qvia Christus ipse generatim, de tota scriptu-
ra hoc affirmit, Job. V. 39. Scrutamini scripturas, qvia vos promtatis
in illis vitam eternam habere, & HÆ SUNT, QVÆ DE ME TE-
STANTUR. Magnum hoc de Christo Incarnato Testimonium,
verum infert de Incarnatione Commentarium, (c) qvia specia-
tim hoc dicitur de Mose, sicut Ipse Christus dicit Iudeis, Job.
V. 46. Si crederetis Moysi, crederetis & Mibi: **DE ME ille scripsit;**
& Petrus: **HUIC OMNES PROPHETÆ testimoniam per-**
hibent, Act. X. 43. Philippus, inter primos Christi discipulos Na-
zanaelem, ad Scholam Messiae, vocans, dicit, Job. I. 45. **Quem**,
scripsit Moses, & Prophetæ, nos invenimus, JESUS à Nazareth,
Josephi Filium, h. e. verum Messiam. v. 41. Et hoc est Evange-
lium Jesu Christi, Marc. I. 1. vel ut loquitur Paulus, Rom. I. 1. 2. 3.
Evangelium Dei, quod antea promiserat per Prophetas suos in scri-
pturis sanctis, de FILIO SUO, qui NATUS est ex SEMINE David se-
cundum CARNEM, h. e. de FILIO INCARNATO, vel Ejus
INCARNATIONE. (d) qvia Messias etiam in V. T. testatur
idem, **Psal. XL. 8. Ecce venio (per Incarnationem) IN VOLU-**
MINE LIBRI scriptum est DE ME, ut facerem, (per passionem,
& mortem, hoc est veram satisfactionem) voluntatem tuam.
(e) qvia juxta Doctores omnes scripture literæ non tam attra-
mento, qvarum sanguine Christi cruento dicuntur esse scriptæ, qvi
sanguis incarnationis est, dñi, sicut pueri communicaverunt carni &
SANGVINI, sic ipse quoq; particeps factus est ejusdem. (f) qvia de
Christi Incarnatione testatur tum scripturarum initium, Gen.
III. 15. tum continuum scripturarum curriculum, dum Christus In-
carnatus, est potissimum totius scripture, vel sensus, vel nucle-
us; tum scripturarum significaculum, dum Apoc. XXII. v. 16. vers.
penulti-

penultimo, vocatur *Iesus*, & ultimo, *Dominus Iesus Christus*. quae nomina sunt *Incarnationis*: nam puer *incarnatus* appellatus est *Iesus*, in *circumcisione*, *Luc. II. 21.* & ab *angelo* in *prima conceptio-*
nis annunciatione, *Luc. I. 31.* in *conceptio-**nis confirmatione*, *Matth.*
I. 21. *Praeco* verò *Natalitus Angelus*, hæc omnia tria notabiliæ,
 vereq; *finalia Apocalypseos nomina*, (*Gratia DOMINI nostri JESU CHRISTI sit cum omnibus Vobis, Amen.*) in *Nativitatis pre-*
conio, *Pastoribus Betlehemiticis facto*, *Mysterio Incarnationis*
 primum adsignavit: *Nolite timere: Ecce, Evangelico vobis Gau-*
dium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Sal-
vator, (Σωτήρ JESUS) qui est CHRISTUS, DOMINUS in civitate
David, Luc. II. 10. 11.

3. Nos impræsentiarum potissimum ad *Historiam Paradi-*
siacam respiciemus, & *Meditationes de Incarnatione Filii Dei*
Genethliacas instituemus, (1) qvia dulcius, imò purius, planius, &
 plenius, ex ipso fonte bibuntur aquæ, & quod alias, de *naturalibus*
*aqua*s, vulgo dicitur, illud etiam ad *supernaturales aquas* di-
 vi-*næ sapientiæ* non inconvenienter accommodatur: citra du-
 bium autem *Fontes Incarnationis* in *Protevangelio* deprehen-
 duntur. (2) qvia *Protevangelium* nihil aliud est, quam *secundis*
fima, vel *abundantisima* scaturigo, ex qua cuncti sive *rivuli*, si-
 ve *canales*, singularem *revelationum*, & *promissionum*, *Vete-*
ris, & *testimoniorum Novi Testamenti*, vel etiam *omnia libro-*
rum Propheticorum, & *Apostolicorum flumina*, *Mysteria de Incar-*
natione, facili, felicique, cursu, moventia, vehentia, vel etiam
 ad corda fidelium fundentia, copiosius promanant, & ad
Mare Genethliacarum meditationum, & *collectionum*, concurrunt.
 (3) qvia *Protevangelium*, in *Historia Panidis* reperitur, quod ve-
 re dicitur *Centrum*, ex quo deductæ sunt omnes *lineæ*
Mosaicarum, & *Propheticarum prædictionum*, & *promissionum*, de
Messiae Incarnatione, ut & omnium clarissimarum *Testificatio-*
nium, apud *Evangelistas*, & in *scriptis Apostolicis* sunt deductæ,
 donec *Circulus totus divinarum Revelationum*, in *Codice Bi-*
blico consummatus est. (4) qvia *primum* in quolibet genere di-

6. DE VERITATE MYSTERII INCARNATIONIS
citur esse *norma*, vel *regula* sequentium: ergo quoque prima
Mysterii Incarnationis revelatio sic optima *norma* poterit esse
reliqvarum *revelationum*, omnium *piarum meditationum*, omni-
um etiam *Theologicarum commentationum*, (5) quia satis or-
dinate, satis accurate, satis perspicue, satis perfecte, nobis omnia
principalia, vel *Doctrinalia Mysterii Incarnationis capita*, secun-
dum *Historiam Paradisiacam*, vel *promissionem primam*, non
citra veram admirationem exhibentur.

4. Ut igitur in hoc arduo negotio, *summoḡ Fidei Chri-*
stiane Mysterio, feliciter procedamus, ideo certam methodum
eligimus, ut & εὐμεθός, & εὐδαιμόνες laborem hunc sa-
crum expediamus. Notabimus igitur I. *Paradisiacam Incar-*
nationis Veritatem. II. *Paradisiacam Incarnationis Quidit-*
tem. III. *Paradisiacam Incarnationis Qualitatem*, vel *Proprietate-*
m. IV. *Paradisiacam Incarnationis Activitatem*. V. *Paradi-*
siacam Incarnationis Utilitatem. DEUS adsit Flamine Sancto!

5. Qvod igitur attinet *Paradisiacam Incarnationis Ve-*
ritatem, illā, qvoad *Existentiam*, quadrupliciter considerabimus,
(1) *Ratione Principii*, vel DEI, qvod revera ratione Dei paradi-
sica *Veritas Incarnationis* existat. (2) *Ratione sui*, vel *Objecti*,
qvod *in se veram Existentiam*, aut *existentem Veritatem* obti-
neat. (3) *Ratione Modi*, qvod *Modus ipse Veritatem* nobis
evidenter ostendat. (4) *Ratione Medii*, qvod *ratione Verbi*, vel
Divine revelationis, *Mysterium Incarnationis* in *Historia Paradisi*
suam *Veritatem* obtineat. (5) *ratione scopi*, vel *nostrī*, qvod no-
bis etiam *in Verbis Mysterium incarnationis* pateat, adeoque
nobis etiam h.e. nostrae cognitioni, fidei, confessioni, meditationi,
celebrationi, &c. in rei veritate sufficienter existat.

6. *Ratione Principii*, vel *Dei*, qvod *in Historia Paradi-*
si Mysterium Incarnationis existat, non uno modo confir-
mari potest, (1) *Ex aeterno Incarnationis Decreto*, quia Deus ab
aeterno missionem, vel *Incarnationem Verbi*, seu *Filiī sui*, decre-
vit, qvoniam λόγος externus, & προφέτης, præreqvirit in Deo
λόγον internum, vel σύνδικός, λόγος verbalis, λόγον Mentalem,
λόγος externa revelationis, λόγον interne constitutionis: jam quæ-
cunque

cunque Deus ab aeterno decrevit, illa suam aeternam habent veritatem, cum Deus neque possit, neque velit non verum decernere: Semen autem mulieris Deus ab aeterno decrevit, sicut patet ex praesenti promulgatione, verbis Dei, vel Scripturae Sacrae freqventi testificatione: Ergo. (2) Ex Dei verbo, quia Deus ipse differtis verbis de Semine mulieris loquitur, vivisque coloribus illud ita describit, ut statim ex predicato pateat, hoc Semen mulieris esse verum Iehovam, sicut etiam mox, c. IV. i. luctuenter satis id Eva declarat. Qvod igitur in Dei verbo, tanquam Objectum reale legitur, & vere proponitur, illud etiam vere dicitur existentia, cum Dei verbum sit veritatis verbum, Col. I. 5. immo veritas ipsa. Job. XVII. 17. (3) Ex Dei promisso, quia Dei promissiones omnes sunt Ne, Ne, & Amen, II. Cor. I. 20. adeoque non de vanis, sed veris, non verbalibus, sed realibus, objectis fiunt, cum sola pro rebus verba dare, non sit promittere, sed decipere: jam autem promissio seminis mulieris ita fundatur in Protevangelio radicaliter, ut vere sit seminarium totius Veteris Testamenti, qvod propterea tempus promissionum, Actor. VII. 17. appellatur, & totus divinarum promissionum thesaurus, ex hac originali promissione succum, & sanguinem omnem veritatem, & firmitatem, obtinere prouinciatur. Certum autem, qvod fundatum omnium promissionum suam veram, & realem habeat existentiam. (4) Ex Dei vel typo, vel exemplo, quia multi Doctorum, & Interpretum sunt in hac sententia, qvod Deus, vel ipse Dei Filius, in visibili forma, tanquam Orator SS. Trinitatis, tum temporis Protoplastis apparuerit, visible judicium coram primis humani generis fatoribus, illis temporibus totum genus humanum representantibus, instituerit, sicut olim hic Pantocrita juxta testimonium Abrabami, Gen. XIX, 25. finaliter universum genus humanum judicaturus est, Matt. XXV, 31. postea visibiliter in assumta forma, tanquam Evangelista primus, & priarius, promissionem Seminis mulieris Evangelicam, vel ipsius Incarnationis promulgaverit, in eadem visibili forma prima predicta munera triplicia suscepere, nimirum. Prophetici, quoad prophetam

403

8 DE VERITATE MYSTERII INCARNATIONIS

ticam mysteriorum, & aliorum eventuum, prædictionem, & revelationem, Sacerdotalis, qvoad visibilem primi sacrificii mactationem, & oblationem, ac rituum sacrificialium, per totum V. T. tractum adhibendorum, Deo gratorum, demonstrationē; Regii, qvoad inimicitarum, contra Satanam positionem, militiarum spiritualium institutionem, Ecclesie Militantis fundationem, capitis serpentini contritionem, majorem Satana maledictionem, & condemnationem, hominum in gubernationem suam, & defensionem regiam receptionem, eorum per vestimenta protectionem, veramqve rerum aliarum provisionem, &c. qvibus, & multis aliis, vivum Incarnationis futuræ typum, vel præfigurationem apertam manifestavit, & cum protoplastis primum festum Genethliacum, ad informationem, & consolationem ipsorum celebravit.

7. Ratione Rei, vel Objecti, qvoqve non desunt indicia, vel argumenta Incarnationis Messiae, sicut patet, (1) ex notabili omni, qvia Iebova Elobim in gratiam & revocationem, vel etiam restitutionem hominis apparuit, verbaḡ gratia, cum Protoplastis peccatoribus miscuit, & sic omen ipfis gratiose vel apparitionis, vel Incarnationis futuræ, ceu miserè corruptis, exhibuit. (2) ex notabili nomine, qvia semen Mulieris futurum, & venturum, dicitur, & sub magno Nōmine, vel pronomine ΝΙΠ, κατ' ἔξοχον accepto, (qvod alias juxta Nonnullos Philologos, & Theologos, proprium Dei nomen dicitur) proponitur, ac ille Magnus ΝΙΠ cum Semine mulieris Idem constituitur, & vere caro, vel Incarnandus perhibetur, nīm. Deus & Homo, verus Γεανθρωπος, seu Dei Filius Incarnatus. (3) ex notabili connexione: mirabilis certe connexio subjecti mirabilis, & prædicari mirabilis, hic cernitur, dum subjectum est Homo, vel Semen mulieris, prædicatum autem contritio serpentini, vel etiam Diabolici capit̄, qvæ non humana, nec angelica, sed divine virtutis, subjectum igitur iterum dicitur verus, sed non merus homo, qvia propter prædicatum, ejusque nexum, simul Deus est, & sic vere Deus incarnandus, vel in Dei Decreto, seu promisso, jam incarnatus. (4) ex notabili virtute, vel proprietate, qvia semen mulieris caput serpentis seductoris,

& Ca-

PARADISIACI , EX GEN. III.

9

& Cacodæmonis conterere dicitur, quod nec est finite sapientia, nec
finite potentia, nec finite respectu peccatoris hominis, gratia, vel mi-
sericordia, nec finite, vel creatæ Majestatis, & eminentia: qua de
causa mera privilegia, vel axiomata Deitatis hic inveniuntur, & vera
fide conspicuntur, dum opus virtutem, actus potentiam prærequisitus
jam immediate virtus infinita, vel omnipotentia necessaria dicitur in
hoc opere, mediate vero reliqua Deitatis attributa connotantur,
cum de similibus simile ferendum sit judicium, & cui competit u-
num attributum Dei, eidem ut propter identitatem reliqua pari-
ter attribuantur, necessum est.: Deus igitur in Attributis suis est
Semen mulieris, h.e. verus Homo, vel *Incarnatus*. (5) ex notabili opere,
quod est contrito capitu Diabolici, de quo tamen opere nec integer
commentario sufficeret, si juxta scripturam omnia documenta realis
Incarnationis Existentis colligere velle: breviter saltem unum ex
contextu, ac unum ex locis parallelis producimus. Ex textu
confirmat Existentiam *Incarnationis operatio realis Incarnati*,
cum non Entis nulla detur operatio: Jam *Filius Dei*, ceu *Semen*
mulieris, conterere dicitur caput serpentis, non tam quia Deus,
quod alias per se patet, cum ipse *Filius Dei*, tanquam verus
Deus, sit *Cacodæmonis Dominus*; quam prout *Homo*, vel *Semen*
mulieris, quod omnibus mirabile, nim. hominem, nunc corru-
ptum esse sine semine Diaboli, purum & incorruptum *Se-
men mulieris*, & sic corruptum fieri prorsus incorruptum, & immu-
latum semen huminum esse cum Deitate personaliter unitum & qualiter
Deificatum, esse divina sapientia, potentia, maiestate, vel eminentia
prædictum, sive divinis axiomatis, & operationibus exor-
natum, in thronum & *Dominium Dei* collocatum, &c. & ipsius
humani generis Domini, vel Tyranni, *Cacodæmonis*, vel *serpentis*
paradisiaci Dominum, ac inde sinenter ejus caput conterere, poten-
tiam omnem frangere, & non tantum sibi, sed etiam fidi fidelibus
subjicere. Hoc certe Miraculum Miraculorum, omnium mira-
bilium Mirabilissimum, summum omnium Mysteriorum Mysteri-
um est. Ex locis parallelis unicum producimus locum nostro pro-
lus collectum I. Joh. III. 8. In hoc apparuit *Filius Deus*, ut dis-
sol.

B

fol.

10 DE VERITATE MYSTERII INCARNATIONIS

solvit opera Diaboli: qui locus cum nostro presus identificatur, & ratione subjecti, & ratione predicati, & ratione modi, & ratione morivi, vel aliis etiam respectibus: Motivum Incarnationis est internum, & externum: internum gratia, misericordia, charitas Dei, respectu generis humani, propter peccatum in extremam miseriā prolapsum, quam charitatem historia Paradisi a nobis manifestat, reali Dei comparitione, vocatione, promissione, &c. Johannes autem hanc charitatem satis admirari nequit, ideo sic statim ab initio capit, vel sermonis exclamat, *Videte, qualem charitatem nobis dedit Pater, ut Filii Dei nominemur, &c.* v. 1. & v. 2. *Charissimi nunc Filii Dei sumus: Et nondum apparuit, quid erimus.* v. 5. *Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret.* Motivum externum, est peccatum, & humani generis miseria, vel malum, quod non tantum in verbis mediatis, sed etiam immediate precedentibus inculcat, eod. vers. 8. Qui facit peccatum, ex Diabolo est: geniam ab initio Diabolus peccat, inde nim. à temporibus paradisiacis. Motivum hoc etiam historia Paradisi clare satis aperit, sicut totus contextus ostendit, qui lapsum protoplastorum primum describit, & multis exponit. Modum verbum, *Apparuit*, includit & incarnationem evidenter introducit, εΘανερώθη dicit textus Græcus, quod verbum alias *Incarnationis* est, sicut *Paulus* inquit I. Tim. III. 16. quod magnum sit ὄμολογμένως pietatis Mysterium Θεὸς εΘανερώθη τῷ σωκτὶ, Deus manifestatus est in carne, vel incarnatus est, verè semen mulieris est. *Predicatum* vere vocatur idem, quia dicitur, quod ex hac apparitione, vel *Incarnatione* fluent operum Diabolicorum dissolutio, vel destruētio, quæ generaliter dicitur esse duplicit generis, malitia nim, & miseria, peccatum, seu flagitium, & peccati supplicium, peccatorum statutum habitualis, quoad habitualem naturæ corruptionem, vel peccatum originis; tum actualis, quoad actualē peccatorum perpetrationem, vel peccatum actuale: haec autem operum Diabolicorum dissolutio nihil aliud est, quam serpentini, vel Diabolici Capitis contritus vel omnis auroratis potestatis, & activitatis, respectu nostri, sublatio. Denique maxima quoque conformitas, respectu Subjecti, reperitur, quia

quia dicitur à Mose, *Mulieris semen, à Johanne, Filius Dei, quoad prius, semen mulieris conteret Caput serpentis, quoad posteriorius, Dei Filius dissolvit opera Diaboli; idem Subjectum totale, vel suppositum, nimirum. Incarnati tota persona, cui tribuitur officialis hæc operatio, cum Actiones, & passiones sint suppositorum; idem subjectum partiale, quod, juxta Protevangelium, ab humana Natura, sed, quoad Johannem, à Divina Natura denominatur, verū, quoad illud, non collective, sed hypostatice de uno tantum Individuo sumitur, sicut exponit Paulus, Gal. III. 16. quoad hoc non natura Patris ingenita, neque Natura divina procedens Sancti Spiritus, sed solius Filii natura divina genita supponitur, quia disertis verbis dicitur; Non Pater, vel Spiritus Sanctus, sed solus Dei Filius in hoc apparuit, ut dissolveret opera Diaboli.*

8. Ratione Modi quoque confirmatur *Incarnationis Existentia*. Nam posito modo, ponitur modi subjectum, cum ab hoc ille dependeat, & ubi nullum est subjectum, ibi nec modus locum obtinet: negato materiali, negatur formale, cum formale dicatur *Materialis formale*: *Modus autem illustris, formale quoque dicitur illustre, nec aliter in textu describitur, vel introducitur, sed ostenditur* (1) *Inimicuum in seminum serpentis, & semen mulieris positio, vel spiritualis Militia, inimicuum ponam inter te, & mulierem, & inter seminum, & Semen illius, scil. Mulieris.* (2) *Seminis mulieris passio, vel, quoad calcaneum à serpente passio, seu spiritualis pugna, quia non caput, non corpus, non manus, non pedes tollit, sed calcaneum solum lœdit, Tu conteres calcaneum.* (3) *Serpentini Capitis Contritio, vel Illustris seminis Mulieris Victoria, quia non tanget, neque lœdet, nec teret, vel aliis modis modis damnū affert, sed prorsus conteret Caput Serpentis.* Hæc omnia prærequirunt *Incarnationem*, velejus *Existentiam*, cū non Entis nulla sit opera: *ratio, nullarelatio, nulla vel inimicitia, seu militia, nulla pugna, nulla victoria.* Jebova El him solus hæc dicebat, hæc promittebat, has inimicium ponebat, hanc contritionem perficere valebat sed nec sine homine, nec sine mulieris semine, non sine Goete nostro, nec sine calcaneo: sicut ergo Jebova solus hæc præstare non delebat, sic

82 DE VERITATE MYSTERII INCARNATIONIS
homo nudus illa præstare non valebat; Jehova Elohim Incarnatus
igitur illa consummaret suo tempore volebat. Si modum Seminis
Mulieris quoque paulo plenius exponere vellemus, & hinc concepti-
onem, ratione formalie atis seminis & nativitatem, ratione necessariæ
materialis consecutionis, relationis, & connexionis multis urgere pos-
semus, ut inde confirmaretur Incarnationis Existentia, sed talia
nunc argumenta dimittimus, evidentiam autem Incarnationis Exi-
istentie non obscurius inde conspicimus.

9. Ratione Medi quoque non defunt hic argumenta veram
Incarnationis Existentiam convincentia. Medium Incarnationis
dicitur Dei Verbum, quod certe tum generaliter, tum specialiter
Existentiam hanc corroborat. Quod enim hic introducatur Dei
Verbum, apertum satis est, dum hic audimus Jehovahem Elohim
loquentem: Et ait Jehovah Elohim ad serpenteum: & sentimus loquen-
tiam sonantem, sive legatur, sive prædicetur hoc ipsum Jehovah ver-
bum, cum vere sit sonus exiens in terram omnem, Psal. XIX. 5 & legi-
mus, vel percipimus sermonem informantem, Inimicities ponam,
&c. Semen Mulieris conteret caput tuum.

10. Quod vero generaliter Verbum hoc Dei nostram Existен-
tiam, Mysterii vid. Incarnationis, confirmet, multis probari posset (1)
quia cuncta Dei verba non sunt vanadicta, sed verefacta, non sunt
nuda pñimat, sed realia пçáyuа. Conf Gen. I. 3. seqq. (2) quia
Dei verba non sunt de nihilo, sed de vero quodam obiecto, non de non
Ente, sed de vero Ente. (3) quia verba Dei sunt ipsa Veritas, Job.
XVII. 17. Ubi datur veritas, ibi non datur nullitas, sed ipsamet En-
titas, seu vera quidditas, cum Veritas suo modo sit consequens Entis,
& necessario Verum ipsum Ens prærequirat, & præsupponat (4) quia
tantæ fuit activitatis, & causalitatis, tantæ pariter penetrabilitatis
hoc Paradisiacum Dei verbum, vel Incarnationis Medium, ut &
Diabolus in eo simpliciter acquiescere, vel proflus obmutescere ne-
cessum habuerit; sic etiam protoplasti peccatores per illud veram
penitentiam agere, pænitenter per veram fidem Diabolum desere-
re, peccatum in vera contritione rejicere, confidenter ad DEum se
reci.

recipere, firmiter suum *Mediatorē*, & *Redemtorem* *Incarnationis* apprehendere, seqve totos per cordis fiduciam illi [committere, remissionem peccatorum, justitiam, & salutem, in eodem accipere potuerint. Hoc igitur energeticum verbum *Existentiā Incarnationis* maxime confirmatam *protoplasis* reddidit. Sic etiam Protevangelium, citra dubium omne, generale dicitur *Incarnationis Existentiæ Fundamentum*.

II. Qvod *Verbum* hoc etiam *specialiter Incarnationis Existentiā* demonstret, illud itidem est manifestum (1) qvia dicitur *Verbum Natalitiae revelationis*: revelatio vero dicitur Entis, vel Existentis, vel existentiam suo tempore habentis. (2) *Verbum Natalitiae Commendationis*, qvia maximè commendatur nostris protoplastis Semen mulieris, tanquam Summus, Maximus, & Optimus Alexander, qvi malum omne propulsare, bonum omne restaurare debebat: jam commendatio non est vel Non Entis, vel plane non existentis. (3) *Verbum Natalitiae testificationis*, qvia priuū hoc, & magnum est ipsius Dei, vel Jehovæ Elohim, de *Incarnatione Filii Dei* testimonium: testimonium autem non datur de rebus nihili, vel non existentibus. Conf. Marc. I. 20. Luc. I. 26, seq. &c. (4) *Verbum Natalitiae annunciationis*: primum hoc, & antiquissimum est Evangelium, & quidem Evangelium Genethliacum de Messia, vel Dei Filio in plenitudine temporis *Incarnando*: sed annuntiatio dicitur rei, vel de præterito, vel de præsenti, vel de futuro, suam veram Existentiā habentis. (5) *Verbum Evangelica confusionis, concussionis, contritionis, respectu Diaboli*: qualis victoriosa, vel *confusio*, vel *concussio*, vel *contritio*, tanquam actio vera, principium verum, & existens, vere necessario dicitur exigere, qvod est *Incarnatus Dei Filius*, vel ejus *Incarnatio*. (6) *Verbum Evangelica*, vel *informationis*, vel cum Deo *reconciliationis*, in viam *revocationis*, veræ *conversionis*, *regenerationis*, *justificationis*, *sanctificationis* &c. qvæ singula nostris Protoplastis per hoc Protevangelium contigerunt. Hæc autem omnia presupponunt Messiam *Incarnatum*, & Existentiā *Incarnationis* ejus. (7) *Ver-*

14. DE VERITATE MYSTERII INCARNATIONIS

bum Natalitiae, vel Evangelicæ consolacionis, confortationis, confirmationis, consummationis, salvationis, & glorificationis, quæ pariter ex Incarnatione fluunt, & Existentiā ejus inferunt. Sic igitur luculentē fatis apparet, quod etiam ratione Medii divini confirmetur Incarnationis Existētia. Hoc etiam de Medio ratione nostri, vera fide scilicet stabiliri posset; sed hæc de Medio sufficient.

12. Ratione Finis, & scopi, quoque fundatur Incarnationis Existētia, tum rationis finis cuius, sic hoc loco reperitur Incarnationis vaticinum, & promissum, & finaliter tendit in verum Incarnationis complementum: Jam vaticinum, & Promissum confirmat Existētiam Incarnationis, & idem multo magis præstat ipsum complementum: Quod Vaticinum hanc confirmet, vel ex eo patet, quia vaticinia sunt Dei, simplicisque veritatis, & infallibilitatis. Promissum etiam, quia non est humanum, sed divinum: promissiones autem divinæ sunt Ne, Ne, & Amen. II. Cor. I. 20. & non possunt non esse realis existētia, licet futuræ, quia notum, quod Deus nec fallere, nec falli queat: & alias dicitur, quod promissum etiam apud homines in debitum cadat; multò magis igitur hoc de promissis divinis est dicendum: notum præterea, quod coram Deo nulla detur temporum, vel rerum variatio, sic igitur illa, quæ ratione nostri, vel ratione sui, cetero tempore sunt extitura, ratione Dei sunt tanquam realiter existētia, quod in primis de Mysteriis divinis in universum, & maxime de Mysteriis Christi, vel Incarnationis, concedendum, quia Jesus Christus est idem, huiusmodi, & hodie, idem & in secula. Heb. XII. 8. Sic & Dei futura præsentia sunt, & præscientia, vel prophetia, munitione Dei, suo modo certam Existētiam importat. Complementum tandem Incarnationis in fide maxima certitudine viderunt protoplasti, jam fideles, sicut Eva, mater omnium, confidenter exclamarit: Acquisivi, vel posseidi Virum Iebovam, vel Iebovam Incarnatum Gen. IV. 1. & sic veram Existētiam Incarnationis confirmavit.

13. Tum ratione finis cui, videlicet ratione Nostri, quia propter nos, & nostram salutem, Protoplasis, vel etiam toti humano generi, facta hujus Incarnationis promissio, veram Existētiam indicans

cans (1) ratione spiritualis cognitionis: quod enim Protoplasti, tanquam summum bonum, tanquam maximum donum, tanquam optimum nuncium, cognoscere debuerunt; illud certe respectu talion non ut non existens, sed mystice tanquam existens, consideratur, dum cognitio spiritualis in vanis speculationibus neque consistit, nec acquiescit, sed objectum verum, & reale requirit, in quo veritas, & reales delicias, in primis contra peccatum invenire possit. Messiam enim Incarnandum vere Protoplasti cognitum habuerunt Gen. IV. 1.

14. (2) Ratione spiritualis, & fiducialis apprehensionis, quia Protoplasti per ipsum Protevangelium vere crediderunt in Messiam Incarnandum, sine quo nec veram penitentiam agere, nec veram tristitiam ad Deum I. Cor. VII. habere, nec ad justitiam credere, neque per bonum fidei perpositum à peccatis desistere potuerint. Talis igitur Messia fiducialis apprehensio Mysterium Incarnationis supponit, cum non Entis nulla sit apprehensio.

15. (3) Ratione spiritualis, & fiducialis meditationis, quod enim frequentissima fuerit Protoplastorum de Messia, vel cogitatio, vel meditatio, patet *tum* ex perpetua peccatorum praesentia, *tum* ex pristini status memoria, *tum* ex jugi penitentia, *tum* ex unius hujus Medici, vel etiam pharmaci, notitia, *tum* ex abrupta Evæ *naegewja*, quia cum puerpera suum primogenitum in lucem edidisset, non sine mentione Messiae natum aspexit, nec sine memoria primogenito suo nomen imposuit, nec aliud, nisi quotidianum *Mnemosynon*, in filii nomine, sibi constituit, קָנְתִּי אֵשׁ אֶת יְהוָה Gen. IV. 1.

16. (4) Ratione verbalis, vereque spiritualis Confessionis, dum ex abundantia cordis os loquitur Matth. XII. 34. & sicut corde creditur ad justitiam, sic ore confessio fit ad salutem Rom. X. 10. Jam autem femelle Messiae Confessionem Gen. IV. 1. ediderunt, & Masculi, c. V. 29. & quidem cum relatione ad Incarnationem, sicut ex ipsis verbis, & extus circumstantiis apparet: *Confessio* vera certo, vel infallibiliter, veram Existentiam, quoad Incarnationem, exigit.

17. (5) Ratione publicæ prædicationis, quia Patriarchæ fuerunt Messiae

16 DE VERIT. MYSTER. INCARN. PARAD. EX GEN. III.

Messie, Praeconis primi, vereque principalis, Ministri, seu Vicarii, qui Legem, & Evangelium, publice prædicare, suisque domesticis, & aliis inculcare debuerunt. Imitati vero sunt in Evangelicis Concionibus ipsum Protevangelistam, ipsum Messiam, qui de semine mulieris, vel Dei Incarnatione, primam Concionem Evangelicam habuit. Primum in quovis genere dicitur principium, & norma sequentium. Ut igitur norma, vel concio prima, proposuit Incarnationem Messie, sic idem de reliquis concionibus sequentibus dicendum. Publica vero prædicatione non aliam, quam veram, & realem objecti sui requirunt Existentiam.

18. (6) Ratione continua propagationis, qvia propterea revelatio Messie facta dicitur, ut omnibus fidelibus, & summis, & imis, & senioribus, & junioribus, & masculis, & femellis, & pueris, & etate proiectis, & adolescentibus, & virginibus, & eruditis, & idiotis, inculcaretur, & sic omnibus in universum inculcaretur: nam ut omnes sunt peccatores, ita pariter omnes sunt Cacodæmonis in peccato sodales, & sic omnes etiam, propter inimicitias, à Diabolo commotas, & à Deo suo modo per Messiam confirmatas, Messia, vel Semine Mulieris, opus habent.

19. (7) Ratione spiritualis celebrationis, glorificationis, exultationis, &c. quæ pariter cum aliis Existentiæ Incarnationis tempore Protoplasmorum cognitam, & creditam fuisse, luculenter, & sufficienter demonstrant. Alia documenta nunc dimittimus.

20. Operose nunc etiam adversam sententiam nonnullorum Scholasticorum, Pontificiorum, Reformatorum, cum primis autem Socinianorum, & Arminianorum, & ipsorum etiam Novatorum, adducere, vel etiam refellere possemus; sed hoc modo non est instituti nostri, nec etiam angustia pagellarum id permittit, & reliqua nostræ tractationis capita neutiquam id concedunt. Nec etiam obscure tantum Incarnatio, vel alia Messie Mysteria, sunt protoplastis revelata, vel etiam sine determinatione Naturæ Humanæ, & Divinæ, sicut nonnulli volunt. Nam aperta verba legimus, manifestam cognitionem, & fidem Protoplasmorum comprehendimus, neutiquam igitur de aperta revelatione dubitare possumus.

Sic honor & virtus multo sudore
parantur,

*Sic ad virtutem tendere fata ju-
bent.*

*Perge bonis avibus doctas adamare
Camænas,*

*Perge inquam vement præmia
digna tibi:*

*Ingeniumque tuum vivet ceu vivi-
da laurus.*

*Quod supereft, votis omnia fau-
sta precor.*

Hæc gratulabund. adjecit.

PRÆSES.

Nil juvat in Doctis tucitè latitasse Lycæis,
Si tibi contingat lingva sonora domi

Hæc

Hæc animant, animos acuunt Gymnasmata multum
Perficiunt, faciunt ut videarē sciens
Dumqve pium sacris Tuā re sic' destinat armis
Cura. Tibi pretium destinat Eusebia.

M. Paul. Berger.

MI Wünschi, Christi mysteria perspicis alta,
Sic paradisiacum ritè colendo forum
Aeternæ qvisquis pertractans foedera vitæ
Olim aliquando feret, præmia sacra Dei.
En Tibi respondent ex voto singulæ fausta
Hoc etiam votis expeto mente piâ.

Sic fido animo præsens specimen gratulatur.

*M. Joh. Georg. Heppe ,
P. C. L.*

Ingenii genium monstrando dilleris apte
Altis de rebus : grator Amice, Tibi
In, cœpti studii stadio sic porge freqventer,
Venturæ Laudis pondera Musa dabit.
Addito Virtuti flammaſ & calcar honori,
Doctrinæqve faces, ingenioqve decus.

*Sic clarissimo Magistro Respondenti, Amico
suo & ex eius de præsenti Eruditionis speci-
mine gratulari voluit ac debuit.*

Opponens.

*Johannes Brunnemann,
Izehorâ Holsatus.*

Ges. Diss. A 161 Seite 8